

vorum insufficientiam, quamvis advertat se minus prudenter iudicare, vel si negligentiam tantum levem admittat in repellendo iudicio. — S. Lig. *ibid.*; *Hom. apost.* n. 1.

3<sup>o</sup> Non peccat graviter, qui temere iudicat de aliquo indeterminato inter plures, v. gr. alicuius coetus vel communitatis, vel etiam de aliquo determinato quidem, sed sibi ignoto. — S. Lig. *ibid.*

4<sup>o</sup> Non temere iudicares, si audiens aliquid a viro probo et fide digno contra proximum, illud crederes. Multo minus, si suspicareris aut dubitares tantum, cum multo minus requiratur ad prudentem suspicionem aut dubitationem, quam ad prudens iudicium; secus autem, si audires aliquid ab homine perverso aut erga alterum male affecto.

5<sup>o</sup> Suspicio vel etiam dubitatio plane temeraria, nulli scilicet innixa rationi, peccatum mortale esse potest, si versetur circa peccata valde extraordinaria et gravia ratione conditionis personarum, quas respicit; quia huiusmodi suspicio aut dubitatio maior iniuria est, quam iudicium etiam firmum circa peccata minus gravia. — S. Lig. n. 964.

6<sup>o</sup> Licet damna praecavere ex timore non omnino imprudenti; atque ita, v. gr. potes res tuas sub custodia servare, ne surripiantur a peregrino domi tuae commorante; quia etsi non possis positive iudicare, hunc vel illum esse furem, potes tamen optime tibi consulere, cum certo scias, inter homines esse aliquando fures, quamvis a furto alieni existimentur.

## APPENDIX.

## DE VIOLATIONE SECRETI.

468. — Secretum in genere dicitur quidquid occultum est: quoad rem nostram attinet, secretum vocamus, quidquid vel ex natura sua, vel ex speciali contractu, occultum servari debet.

Triplex distinguitur secretum

1<sup>o</sup> *Naturale*, si ab ipsa natura imponatur, v. gr. si quid scias quod manifestare nequeas sine gravi alterius laesione sive in aestimatione, sive in bonis, etc.

2<sup>o</sup> *Promissum*, si quis arcanum ab alio audiens vel casu discens, promittat, se id non revelaturum.

3<sup>o</sup> *Commissum*, si quis alteri quidpiam manifestet, et simul ab ipso silentium circa illud tacite vel expresse exigat.

469. **Principia.** — I. Secretum *naturale* in re gravi obligat *per se* sub gravi, et quidem ex iustitia, nisi iusta causa excuset. Ratio est, quia ex revelatione secreti sequitur *per se* damnum proximi, qui ius habet, ne sine causa rationabili laedatur. — S. Lig. n. 970. — Salm., etc.

II. Secretum *promissum* obligat *per se* graviter vel leviter pro qualitate

materiae et natura susceptae obligationis, quae plerumque est ex sola fidelitate. Ratio est, quia contractus continetur simplici promissione, quae *per se* obligat solum ex fidelitate et iuxta intentionem promittentis, ut de voto dictum est (1). — S. Lig. *ibid.* et *alii communiter.*

III. Secretum *commissum* seu *communicatum*, quod dicitur etiam rigorosum, obligat *per se* sub gravi ex iustitia, et quidem strictius ac secretum mere naturale, atque etiam promissum; quia praeter obligationem naturalem urget etiam obligatio ex contractu expresse vel tacite suscepta (2). — S. Lig. n. 970.

470. **Quaesita.** — **QUAER.** 1<sup>o</sup> *Quaenam sint causae iustae secretum manifestandi?*

*Resp.* 1<sup>o</sup> Consensus recte praesumptus illius, cuius interest secretum occultari. — 2<sup>o</sup> Divulgatio rei aliunde profecta. — 3<sup>o</sup> Damnum ex secreto secuturum Reipublicae vel privatis. Attamen si agatur de damno iam illato, non potes licite secretum commissum revelare, quousque damnificator ipse se prodere non tenetur (3). — S. Lig. n. 971., Lugo, Sanchez, etc.

(1) Quando materia secreti promissi etiam citra quamlibet promissionem suapte natura exigit, ut occulta servetur, quia scilicet est materia naturalis quoque secreti, facile intelligitur, legem secreti *promissi* posse etiam *graviter* obligare. Non item, si totam secreti obligationem repetas ex promissione; promissionem vero generatim statuas ex mera *fidelitate* obligare, quippe obligatio fidelitatis iuxta communem doctrinam ex genere suo levis est. Clarius itaque rem compones, quando advertas eum Card. De Lugo (*De iust.* disp. 23. n. 14. et 90-91.), vi promissionis posse quempiam se obligare vel ex mera *fidelitate* vel ex *iustitia*, et a promittentis intentione ac libera voluntate pendere, utro modo se obliget; quo revocari possunt et verba Auctoris aientis: *et iuxta intentionem promittentis*. Sub levi ergo obligabit promissio, si ex mera fidelitate quis promittat; si vero ex iustitia, pro ratione materiae poterit et sub gravi obligare.

(2) Contractus intercedit etiam in secreto *promisso*; sed a contractu secreti

*commissi* differt, quod ille sit contractus *gratuitus*, hic vero sit *oneratus*; neque enim tibi notitiam rei alter committeret, nisi promissionem secreti a te reciperet.

(3) Et in hoc differt secretum *commissum* a mere *promisso*, quod in hoc postremo promittens non accepit rei notitiam vi promissionis suae, sed notitiae utrumque acceptae secretum gratuito promittit. Porro dum hoc deinde promittit, etiam addito iuramento, non potest per promissionem suam se eximere ab obligatione, qua iam teneatur. Cum ergo quisque iudici legitime interroganti teneatur veritatem aperire, promissio secreti ad casum iudicis legitime interrogantis extendi non potest. Contra vero accidit in secreto *commissum*. Nam bonum commune postulat, ut ne metu revelationis homines priventur commodo consilii aut auxilii necessarii quaerendi, quod tamen quaerent nunquam, nisi certi de secreto servando forent. Postulat ergo bonum commune, ut quousque *committens* licite potest suum secretum servare, ius retineat, ne alter illud prodat. Hinc ratio, cur me-

QUAER. 2<sup>o</sup> *An possis revelare secretum, si promiseris illud servare etiam cum vitae iactura?*

Resp. 1<sup>o</sup> *Affirm.*, si illud exigat bonum commune, quia promissio facta contra bonum commune nulla est.

Resp. 2<sup>o</sup> *Neg.*, si agatur de tuo proprio damno simpliciter gravi, quia praestat servare secretum hoc speciali contractum promissum. *Neg.* etiam *probabilius*, si agatur de damno tuo extremo, quia iuri tuo expresse renuntiasti, nec illicitum est omittere vitae conservationem, ut promissum serves (4). — Ita Lugo, Lacroix, et S. Lig. n. 971. — Attamen S. Auctor oppositum satis probabile merito dicit.

471. QAER. 3<sup>o</sup> *An peccet graviter, qui revelat secretum uni vel alteri viro probo sub eodem secreto?*

Resp. *Neg. probabiliter per se*; quia in hoc casu gravis iniuria erga alium committi non videtur. Excipe, dummodo non reveletur personae, cui secretum tibi committens specialiter voluisse illud celari merito praesumitur. — S. Lig. n. 971., et alii.

Dixi, *per se*; quia in praxi ob circumstantias secreti revelatio facile gravis evadet, quando scilicet personas, quibus acceptum secretum committis, nimis leviter supponis ita discretas, ut illud sint certo servaturae, praesertim si cum mulieribus agatur. Etenim tibi commissum est secretum, quia discretus putaberis; si vero illud violes, putasne alium, cui confidis, te ipso discretiorem futurum esse?

QUAER. 4<sup>o</sup> *An graviter peccet aperiens aut legens alterius litteras?*

Resp. *Affirm. per se*, seu *ex genere suo*. Ratio est, quia iure naturali, et iure gentium obligatio inest secreta litterarum illaesa relinquendi; secus commercium humanum pessumdaretur. — S. Lig. *Hom. apost. Tr. 11.*, de 8<sup>o</sup> *Praec.* n. 5.; et alii communiter.

Excipe casus sequentes: 1<sup>o</sup> si adsit consensus tacitus aut praesumptus illius qui scribit, vel illius ad quem litterae mittuntur; 2<sup>o</sup> si cognoscatur vel praesumatur, litteras continere res levis momenti; 3<sup>o</sup> si iusta de causa fiat, v. gr. ad damnum publicum aut privatum avertendum, modo ad malum istud propulsandum quis ius habeat litteras aperiendi, nec plus legat, quam ad hunc finem necessarium est (5). — Scav. 4<sup>o</sup> si litterae ex levitate aut ex aliqua inadvertentia aperiuntur. — S. Lig. l. 5. n. 70.

dici, advocati, obstetrices, theologi consulti, etc. ne iudici quidem interroganti rem commisso secreto cognitam aperire teneantur, imo cur teneantur non aperire.

(4) Ut ista opinio probabilis haberi possit, necessarium iusuper foret, ut negotium secreto servandum gravissimi mo-

menti esset. Secus enim promissio foret prodiga, quam servare non tenemur.

(5) Huc revocari potest quaestio, quam S. Alphonsus (lib. 3. n. 969.) *magnum* appellat, *An ad vitandum grave tuum damnum, possis crimen occultum alterius revelare, si notitiam acceperis*

472. **Resolves.** — 1<sup>o</sup> Secretum *promissum* nullo modo obligat, quoties alias tenebaris rem manifestare, v. gr. si interrogaris a Superiore vel a iudice. — S. Lig. n. 970.

2<sup>o</sup> Secretum *commissum* a te servandum est generatim, etiamsi interrogaris a Superiore vel iudice, etc.; respondere autem debes, te de hoc nihil scire; quippe eiusmodi notitiam perinde habes, ac si eam non haberes. — S. Lig. n. 970.

3<sup>o</sup> Eodem modo servandum est secretum *implicite* vel *tacite* tantum *commissum*, ac si *expresse* commissum esset. Sic ad secretum stricte obligantur consilarii Principum, duces belli, advocati, medici, theologi de aliqua quaestione consulti, omnesque universim, quibus vel consilii vel solatii vel auxilii causa secretum committitur.

4<sup>o</sup> Superior religiosus litteras suorum subditorum aliorumve ad ipsos missas licite aperit sive ex Religionis statuto, sive ex consuetudine, aut ex prudenti suspitione, quod aliquid minus recti contineant. — S. Lig. l. 5. n. 70.

5<sup>o</sup> Superior tamen aperire et legere nequit litteras, quas subditi Superioribus mediatis ac vicissim isti Superiores subditis mittunt; recta enim gubernandi ratio postulat, ut supremi Moderatores cum omnibus subditis libere communicare possint. — S. Lig. *ibid.* — V. *Casus*, n. 436. et seq.

*iniuste per vim, aut fraudem, puta aperiendo litteras etc.* Relatis autem aliorum opinionibus subdit: *Inter has tam varias sententias, mihi magis arridet sententia Lugonis (De Iust. disp. 14. n. 101.). Docet hic magnus theologus, te non posse, generaliter loquendo uti notitia illa iniuste accepta cum alterius damno, ob quodcumque damnum suum effugiendum... Tunc tantum recte admittit Lugo, te posse crimen manifestare, quando esset tibi permissum etiam per vim et fraudem illud exquirere, et litteras aperire.* Ita S. Alphonsus.

Suam vero hanc doctrinam Lugo sic exemplo declarat (l. c.): *Ut explicetur et probetur haec distinctio, uti possu-*

*mus exemplo illo ex bonis fortunae, quae quilibet, ut suppono, usurpare potest etiam per dolum et vim, ut se ab extremo periculo liberet: quare licet eiusmodi bona per iniuriam et furtum antea usurpares, si tamen postea iis extreme indigeas, poteris iam licite ea retinere, et consumere, quia es reductus ad statum, in quo posses denuo illa quomodocumque accipere et consumere. Sic ergo licet alieni criminis notitiam iniuste accipisses, si tamen reductus es ad statum, in quo propter necessitatem posses illam quocumque modo procurare, licite poteris illa notitia uti, perinde ac si licite eam ab initio habuisses.*